

- mox in rem seriam vertebatur, casusq; in artem transibat; increbescente enim paulatim novitatis hujus famâ alliciebantur catervatim viatores, inauditum ante spectaculum non sine curiositate & stupore intuentes, divulgabatur deinde res in principum aulis, cumq;ve tubi hujus Belgici rumor per Germaniam, Galliam, Italiam, universam deniq; Europam latius latiusq; serperet, à *Simone Mario* in Germania, à *Galileo Galilei* in Italia, ab
17. *Antonio Maria de Reyta*, (17.) aliisq; magis magisq; perfici cœpit, donec ad eam, in qua nunc temporis est, perfectionem deductus fuit. Fabricantur enim hodiè longissimi atq; perfectissimi tubi,
18. (18.) cumq; experientiâ jam notum sit, quantum utilitatis universæ Philosophiæ afferant Telescopia, idcirco etiamnum in omnibus Europæ locis, ubi paulò solertiùs excoluntur artes & scientiæ, id omnibus mediis intenditur, ut nobilissima hæc Instrumenta magis magisq; perpoliri ac perfectiora confici possint:
19. (19.) quorum egregiorum conatuum meritas laudes cum in *Actis Anglorum*, tum in *Ephemeridibus Gallorum* congestas, ut hic prolixè repetam, redundantis est operæ. Suffecerit illud unicuique adjecisse, quod ea hæctenus maximi æstimata fuerint Telescopia, quæ vel duo excellentissimi illi Romæ Mechanici, *Eustachius de Divinis*, & *Josephus Campanus*, (20.) vel ingeniosissimus ille Angliæ artifex, *Robertus Hookius*, elaborarunt.

Quoniam verò unum quodq; Telescopium simul auget objecta, inde facilis fuit specialior inventio *Microscopiorum*, h. e. talium organorum, quæ non tam disita à nobis visibilia adducant, quàm minutissima & propè oculos nostros posita corpora veluti maxima distinctissimè repræsentent. Hæc seculo nostro feliciter inventa & ingeniosissimè exculpta instrumenta, incredibile dictu est, quantis Philosophiam, Medicinam, universam deniq; Remp. Literariam ditaverint incrementis! Magnum artis miraculum fuit, Torevtas seculi nostri præstantissimos, aut paternas mille & sexcentas, torno ex ebore factas, numerisq;ve omnibus absolutissimas, aut trecenta & viginti pocula elegantissimè

tissimè